

Q. N. 349, 4

X 200 1655

II f
90

Oratio
DE DIGNITA-
TE, ET EXCEL-
LENTIA PHILO-
SOPHIÆ.

Quam

IN INCLYTA ATQVE
CELEBERRIMA WITEBER-
gensium Academia, pridie No-
narum Septemb. publicè
recitavit

ADAMVS HEYMAN,
Silesius.

WITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergij.
Anno 1597.

BIBLIOTHECA
MONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



MAGNIFICIS, ANTIQVA GE-
NERIS NOBILITATE, SAPIENTIA,
doctrina, autoritate, omniq; virtutum lauda-
bilium splendore, præstantissimis
viris ac Dominis:

Dn. NICOLAO à REHDIGER, Domino in Strisa &
Sponsberg:

ET

Dn. ANDREÆ à REHDIGER, Domino in Sche-
bitz & Campern.

DOMINIS MECOENATIBVS, ET
PATRONIS SVIS, OMNI PIETATIS
& obsequij studio vnicè colendis

in

*Debitæ obseruantie & grati animi τεκμήριον hoc suum
qualecunq; προγύμνασμα oratorium
D. D. D.*

ADAMVS HEVMAN,
Silesius.



DE DIGNITATE ET EX-
CELLENTIA PHILO-
sophiæ.



Abendæ orationi, eximij & spectata dignitatis viri, nec non nobilissima atque doctissima studiosæ juventutis corona: quam nunc non arrogantia, aut ingenij fiducia aliqua: sed partim amore erga hoc studium: partim erga nos omnes observantia, habere constitui: ansam ipsa vestra mihi præbuit humanitas: eademq; me initium, quæ vellem, quæq; sentirem de studiis philosophicis verecundi & grati animi more dicendi facere iussit. Tantam enim excellentiam, tam inusitatam rebus humanis præstantiam, tam deniq; incredibilem totius Philosophiæ utilitatem, tacitus nullo modo præterire possum. Quæ quidem sola conservata inter homines, non solum illius unice: verum omnium etiam rerum utilium splendorem conservatum ac propagatum puto. Omnium enim artium Philosophiæ esse utilitatem maximam, vel solius Platonis illud indicat, quo tantam Philosophiæ præstantiam tribuit, ut so-

A 2

lam

DE DIGNITATE

lam hanc Deorum donum nobilissimum asserere non vereatur. Sic enim is inquit: φιλοσοφίας μέζον ἀγαθόν, οὐτ' ἕλθερ, οὐθ' ἕξῃ ποτε τῶθ' θνητῶθ' δώρηθιρ ἐκ θεῶν, hoc est: Nullum tam excellens Deorum donum est, quod non Philosophia, ut maximum, omni excellentia excedat. De cuius quidem laudibus hanc mihi ad dicendum materiam sumsi, non ut eas percenserem singulas, aut flore orationis vestirem: sed ut ex innumerabili rerum copia paucas seligerem, de quibus quæ duxi præcipua, pro virili explicarem. Et ad hanc suscipiendam provinciam, non modò doctissimorum virorum in hoc colendo studio amor occupatissimus: verùm improbus etiam & stolidissimus ineptorum hominum contemptus me commouit. De quo utroque ego quidem dicturus, ita tamen moderabor quæ dicenda sunt, ut perpetuò coram ijs me verba facere meminerim, quorum omnes & singuli causam hanc cognoscere non recusabunt. Illud, antequam aliquò prouehar, ab omnibus contendo summo perè, ut quando meum mihi profugium in eruditorum hominum bonitate & clementia situm est, tenuitatem meam favore suo perpetuo subleuent; quo mea oratio his veluti ventis subiecta felicissimis

PHILOSOPHIAE.

simis, portum quem sibi proposuit, facilius consequatur. Quod quidem singulare vestrae humanitatis officium ea cupiditate, ac animo ad benemerendum ac remunerandum prompto, suscepturus sum, ut mea erga universos & singulos studia semper paratissima sim exhibiturus.

Atqui nunc tandem, ut more lectissimorum sagittariorum certum ac indubitatum quiddam, tanquam scopum quendam, proponam, contra improborum ac imprudentium hominum sententiam, Philosophiam utilissimam esse, demonstrabo. Priusquam autem eò transgrediar, paucula de duplici hominum genere, quorum hoc artes suscipit, alterum negligit, praefabor. Ex quo quidem non modò aliquam exiguam, verum longè etiam maximam esse Philosophiae utilitatem patebit. Innumeros enim esse, nemo dubitat, qui de his Philosophorum studiis eam in animum sibi induxerunt sententiam, ut eorum tractationem planè inutilem, & quiddam nugatorium & otiosum existiment: ut non sapienter ab his labores suscipi, nec magnoperè fructuosam Reipublicae eorum industriam arbitrentur, qui ea iuventuti inculcant: nec in eis de-



DE DIGNITATE

nique non solidum quiddam ac dignum adoleſcēte ingenuo: ſed explodendam potiùs ac hauſtam in triuijs ſapientiam putent. Horum quidem tantus omnibus temporibus numerus extitit, ut, niſi ipſius diuini Numinis benignitate cōſeruata eſſent hæc ſtudia, dudum ad Indos extremaque limina terra eſſent deportata: ſed non minùs ac impia, ita quoque inanis horum ſemper irritaque fuit coninuatio. De quo quidem ferreorum hominum genere, & hodie propter flagitia notiſſimum & exoſum, plura dicere indignum arbitror, præcipuè cum ipſius impietas ex contrarij, aurei ſcilicet generis pietate fiat illuſtrior. Et huius quidem partis hæc eſt longè melior ſententia, non Platonem aut Ariſtotelem artium inueniſſe initia, verum ipſiſſimum Deitatis Numen. Creatis enim rebus, quæ in hac ſuperiorum & inferiorum compage continentur, omnibus, hominem tandem in hoc vniuerſum mundi theatrum Deus produxit: Huncq; mari, terræq; dominum præfecit: tantam etiam ſapientiam indidit, quâ non ſolum omnia animalia, feras & beſtias excelleret: verum iſſdem imperaret. Hic igitur aſpiciebat effectorem, &
rerum

Genef.
cap. 6.

PHILOSOPHIAE.

rerum omnium molitorem Deum: hic caelestia & terrestria: hic omnium principia contemplabatur: hic ortum & cognationes corporum, summo acumine & diligentia considerabat, observabat, ac enodabat; ut totius uniuersi caussarum naturalium nulla eum latuerit. Nomina hic animantibus conuenientia imposuit, illustrissimumque suae perfectionis monumentum demonstrauit. Quanta igitur sapientiae & scientiae abundantia, quanta cognitio, quantum flumen ingenij in eo fuerit reconditum; cuius utcunque saltem colligere & facile & iucundum est. Transgressus autem legum diuinarum limites, & miserandum pulsus in exilium, acceptam à Deo rerum omnium cognitionem nō quidem omnino retinuit, nec tamen omnino amisit, sed quasi in tenebras repositam suis posteris relinquere conatus fuit. Hi verò traditum à parente studium sapientiae ad sequentes Hebraeos, Aegyptios, Chaldaeos, Phoenices, Graecos & Romanos, aliasque gentes propagarunt. Cuius certitudinem cum Iosepho alijsq; Historicis, sacrae literae stabilire videntur. Genes. 30. ubi Iacob stratagemate

Herod.
lib. 21. de
Aegypt.

Iosephus
Gen. 30

te



DE DIGNITATE

*Patrimonia
Philosophia*

te physico colorem ouibus pro libitu & arbitrio af-
fingit. Ante hunc verò etiam floruisse studia Phi-
losophica, idem Iosephus testis est. Sic enim inquit
de Abrahamo: Abrahamus autem vir fuit opti-
mus, qui omnium rerum intelligentia præstaret:
& facile audientibus persuaderet, neq; in ijs fal-
leretur de quibus coniectaret. Ex quibus non mo-
dò artem aliquam: verùm partes Philosophiæ sin-
gulas, utpote Rhetoricen, Astronomiam, Physi-
cam, Ethicamq; tunc floruisse manifestum est. Flo-
ruisse verò hæc eadem studia etiam ante Abraha-
mum, liquet ex eodem authore, libro 1. cap. 3. de
Setho, eiusq; liberis, quos non modò Geometriæ, A-
rithmeticæ ac Physicæ, verùm etiam Grammati-
cæ peritos fuisse affirmat. Sic enim refert de Colu-
mna liberorum Seth: Columnam hi fecerunt du-
plicem: Lateritiam alteram, & rursus lapide-
am alteram; in quarum utraq; quæ cæli motum
docerent, erant conscripta: idq; ideo fecerant, ut
intereunte altera, altera tamen maneret; poste-
risq; post diluuium (quod prævidebant) artes ex-
cultas traderet. Ex quo iterum, non modò non oti-
osos homines, verùm patres doctissimos, Philoso-
phica

PHILOSOPHIAE.

phica tractasse studia, manifestum est, falsumq; apparet illorum iudicium, qui ferrei ferream de hoc studio sententiam proferre solent. Sed his omisis, propius mihi veniendum est ad propositum. Cum enim innumerabilis sese rerum ostendat copia, quæ, non indigna esse homine ingenuo hæc studia, convincit, pauca hætenus de inventoribus, ac potius cultoribus, & simul quasi obiter de contemptoribus eorum me dixisse, sufficiat: nunc verò, quæ causa huius studij excolendi sit, dispiciatur. Notum fieri quidem potuit ex his, quæ in medium attuli, hos aureos illis ferreis longissimè esse anteferendos: sed tamen quæ & quantæ sint literarum utilitates, adhuc latet. Cum verò Philosophiæ dignitas tanta sit, ut nullius tantum sit flumen ingenij, nullius tanta vis dicendi, scribendiq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare laudes ipsius possit: meritò hic veniam mihi petendam esse arbitratus sum: ut, si id, quod opibus maximum est, viribus non adæquavero, illud non impietati iudicii, sed scopi magnitudini, & dicendi inopia tribuatis. Totius autem Philosophiæ utilitas, cum non rectius, nisi ex singulis partibus monstrari possit: primum de ijs acturus sum, quæ

B gene-

DE DIGNITATE

generalissima & reliquarum instrumentales videntur, & quarum prima est Grammatica. Cuius quidem ratio quanti in vita communi sit emolumenti: tam ex Philosophorum, quam Politicorum testimonijs evidentissimis est manifestum. Ac ad Philosophiam quod attinet; quis, quæso, absque Grammatica integrum? quis absolutum aut perfectum usum ullius disciplinae, sese assequi posse, affirmabit? quis vel Mathesin, vel Physicam, vel Ethicam absque Grammaticis addiscet? Nam quod ad grecam attinet, omnes greci fontes sunt: ad Latinam, omnes explicationes latinae. Verum enimvero, quantum Civili & Forensi vitæ comodet notitia linguarum precipuarum, tum probasse me existimo, cum non separatim omnibus in Republica: verum ipsi potius Reipublicæ capiti, regibus, & singulis, aliquem magistratum gerentibus, necessariam hanc esse, fuerit demonstratum. Hoc verò sese non habere aliter, vel sola Legatorum functio vel auditio indicat. Nam nec legare quenquam commodius, nec Legatos rectius quenquam audire, quam si eo quo utuntur, linguæ idiomate instructus fuerit, nullum unquam dubium esse, tam certum est,

PHILOSOPHIAE.

est, quàm quod potest esse certissimum: quo in genere Latinorum dialectus hodie & nobilissima est, & necessaria maximè. Sed cum ad alia quoque transfundendum sit; de prima arte hac non dicta, sed indicata solummodo esse, sufficiat. Ad Dialecticam quod attinet, cum propter usum in omni vita perspicuum: tum propter summam eiusdem dignitatem, potius mihi tacendum, quàm pro ratione temporis & instituti mei paucis differendum esse, videtur, sicut ille de Carthagine, urbe praeclarissimâ, perorare iussus, respondebat, se malle tacere, quàm de ipsa pauca dicere. Usus enim esse istius artis immensum, ipsa docuit longissimo tempore antiquitas, qua non hominis perfectionem aliquam, sed ipsum potius hominem hac arte efformari per fabulam Promethei notavit. Hic enim ignem Ioui de caelo furtim subtraxisse perhibetur. Nihil autem aliud est ille caelestis ignis, quàm ratio hominis. Sicut igitur ignis separat pura & homogenea ab impuris & heterogeneis, consumit inutilia, aperit constricta, digerit dura: ita ratio, & quae est rationis, ars Dialectica verum à falso discernit, consequentia ex ante-

DE DIGNITATE

cedentibus concludit: veritatem, in profundo deli-
tescentem, in apricum profert, falsitatemq³ refutat.
Dignitatem verò huius scientiæ non minus quàm
usum testata est sapiens antiquitas, ut ait Iacobus
Scheccius, per *Vrim*, id est, doctrinam, & *Ihumim*,
id est, scientiã in pectorali Sacerdotis maximi. Per
illam enim mentis notitiam, per hanc iudicium si-
gnificari putarunt. Rhetoricen si quis antecedenti-
bus præstantiorem iudicauerit: forsàn nihil abso-
num videbitur statuisse. Et si huic arti illud de Cæ-
sare in Oratione pro Marco Marcello dictũ attri-
buat, multò minus aberrabit. Domuit enim hæc
gentes, immanitate barbaras, locis infinitas, omni-
busq³ feritatis vitijs tumentes: Hac Cicero arma-
tus bellicosos depulit: Hac ea est, quæ consolatur
mœrentes, afflictos excitat, depressos erigit: sceleratis
exitio est, innocentibus præsidio, improbis terro-
ri, probis ornamento. Sed cum nõ modò literis dediti,
verum omnis generis homines eloquentiam ceu sum-
mũ Deorum donum mirentur, ipsiusq³ in omni vitæ
genere utilitatem videant, superuacaneũ est, longius
eius cõmendationi immorari. Illud apprimè obser-
uan-

Cicero
pro M.
Marcel-
lo in O-
ratione.

PHILOSOPHIAE.

uandum est, hanc cum Mathematicis omnium diligētissimè primis temporibus fuisse cultam. Non autem Rhetoricam solam, sed etiam, quæ huic vicina est, Poëticam, ut expolitam semper, ita vetustissimam omnes boni habuerunt. Nam & in ipsis sacris literis Spiritus sanctus rhythmos et modos adhibuit: & certum est, facilius disci, diutiusq; retineri illa, quæ versibus comprehensa proponuntur. Sed ad ea, quæ Philosophiæ specialiora sunt, mihi transeundum est, in quo genere primum habet locum Mathesis; Vbi equidem amplissimus sese campus aperiet, ut si illo Poëta uteretur quis, accusari haudquaquam possit:

Si mihi sint linguæ centum, sint oraq; centum
Ferreæ vox, &c.

Tantam enim huius utilitatem & excellentiam, vel illud unicum testatur Vergilij, describentis unius dignitatem radij, de quo inquit:

Et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem.

Et alibi:

Cœliq; meatus
Describent radio, et surgentia sydera dicent.

Non solum enim in metiendis terris, omnibusq;

B 3 magni-

DE DIGNITATE

magnitudinibus reliquis: (ut testatur Plinius) sed in astris etiam loco & ordine definiendis, omnibusq; cœlestis ciuitatis vijs ac regionibus describendis, hoc Mathematicorum inuentum occupatur. Illud igitur dico, ante omnia tantam Mathematicorum hinc à mundi initio excellentiam in diem hunc usq; apud omnes viguisse; ut semper omnium Philosophorum Mathematici pro nobilissimis sint reputati. Et constat omnibus, hanc Philosophiæ partem esse unicam, quæ omnes sibi dissimiles ex Academia Platonis eiciebat, inscribētis illud suo ostio: οὐδὲν ἄνευ μαθηματικῶν εἰσὶν ἴτιω. Si primos Patriarchas quis consideret: omnium Philosophiæ partiū hanc præcipuam eosdem coluisse deprehendet. Si sequentes paulò post Ægyptios & Græcos quis consideret, omnium Philosophorum Græciæ Archimedem nobilissimum videbit. Qui quasi idea publica omnium Mathematicorum illud; Mouebo terram, si tibi stem, dederis; non veritus est iactitare. Cuius quidem suæ scientiæ tanta etiam edidit specimina, ut quod nec regnum integrum poterat, ipse solus laua moueret: omnesq; Romanorum exercitus à muris fugaret: immunemq; ab interitu patriam longo tempore solus defen-

Liuius
de expu-
gnatione
Syracula-
rum.

PHILOSOPHIAE.

defenderet. Fecerat enim hic, Hieronis, regis Syracusarum, impensis, machinas, quibus contra validissimum exercitum (& quidem in hostes propiores saxis minoribus, sed crebrioribus; in remotiores grandioribus & ingentioribus) quasi Iupiter quidam tonitruaret, & Syracusas à Marcello, viro fortissimo, oppugnari prohiberet. Recentiorum Mathematicorum nobilitatem si quis consideret, vnicus Regiomontanus illorum dignitatem poterit tueri. Qui non minus ac recens Architas, aquilam Noribergæ Casarem quasi excipientem, inq̃ urbem perducentem fabricavit. Cuius quidem viri nobilitas, ut perpetuos Noribergæ Regiomontanos habere studeat, effecit. De Arithmetica verò quid referam, cuius precipuas utilitates numerare, quàm pro dignitate explicare facilius est. Ac si nihil dicerem amplius, quàm esse quandam artem, sine qua nulla unquam mercatura exerceri potuit: tamen hac sola vos moveri putarem. Sed cum aliæ sint non minores, silentio non involuenda sunt. Et quæ iam recitata est, Arithmetica simplicis inventionem maximam ex parte suggestit. Docet enim antiquitas: Phœnices Arithmeticam propter commercia inuenisse; hincq̃

Snellius
in proce-
mio Ma-
themati-
co.

DE DIGNITATE

hincq; alijs nationibus ac populis communicasse: unde etiam Regulam detri, vel propter dignitatem & usum maximū, auream dictam, exortam fuisse, argui potest, & quaedam præterea alia. Geometria verò sine hac nullam sui perfectionem ostendere, neq; ullum vel in Physicis, vel Mechanicis artificium exhibere potest. Sine hac enim nihil Geometricum numerare: nihil Mechanicum geometricè metiri quenquam posse, ordo principiorum ostendit: Quò præcipuè Ratio, Proportio, & similia respiciunt. Est verò & alia utilitas tanta, ut nullum imperium, nulla societas, nulla denique vitæ pars, eà vacare possit. Hac enim quicquid aula Imperatoris possidet, quicquid Pharmacopola & Oenopola miscent: hac deniq;, quicquid totus mundus habet, numeratur. Quo in genere sunt Regula Societatis, alligationis, & alia, & præcipua antecedentia. Verum enim verò tam latè hæc diffusa est, ut totam Philosophiam unica sustinere inter homines posse videatur. Sed hæc coacti manifesta & insigni commoditate vix audebunt contemnere: Geometriam verò inter illa, quæ nihil profunt, numerabunt. Nunc igitur ad te, qui inutilem hæc iudicas, me recipio.

Tu

PHILOSOPHIAE.

Tu inutilia, eijcienda ex artibus, tu utilia servanda soles postulare. Ergo paulò altiùs rem considera. Utillissimum esse radium Geometricum (nisi etiam ab omnibus vetustissimis dissentias) nunquam inficiabere : utilissimam radicis quadratæ Cubicæ inventionem, non negas : utilissimam tandem etiam, nisi Physicus non sis, doctrinam ac dimensionem circuli autumas ; omniaque hæc necessaria, non inficiaris. Verùm explicationem trianguli, quia proculdubio dimensionem rerum non consideras. prorsus cum plerisque Geometricis excludis. Sed qui hæc ita statuis ; paululum attendito : Nonne ad constitutionem radij, Triangulo ? Nonne ad radicis quadratæ extractionem, quadrato ? nonne denique ad explicationem circuli Cubi, Sphæræq, omnibus Geometricarum præceptis opus esse, animadvertis ? Sed cum fortassis & hæc, alto spectans Geometriam supercilio, parvi æstimes ; nonne in quotidiano usu maxima huius doctrinæ utilitas spectatur ? nonne libra, vectisq, ut hic alia omittam, Geometriæ inventa sunt ? nonne denique omnia, quæ unquam Archimedes exhibuit, ex Geometricis principijs sunt propagata ? omnemq, denique Mechanicam, Archi-

C tecto-



DE DIGNITATE

sectonicam, si Geometricam dixero; quicquam falsum deprehendes? Sed cum haec omnia reuocando tibi in mentem mireris, ac an difficile libra inuentum sit, dubitare audeas: gratitudinem antiquitatis erga inuentorem considera, & longè difficilimum inuentum, hoc donum Geometriae offendes. Quae, ut magnitudinem huius beneficii exprimeret, hoc inuentum inter sydera referendum non dubitauit. Sed in his quoque, tanquam maximè manifestis & utilibus, non plus immoror, Mathematicaeque utilitatem, dignitatēque concludo, atque ad Physicam Ethicamque progredior. Et cum haec duae partes ab omnibus & singulis semper ferè pro utilissimis sint habitae, breuitati studebo. Harum verò, quae prima est, Ethica, doctrinam virtutum nobis porrigit, teste Cicerone & Tusculanar. quaestionum, ubi Maiestatem huius exprimere praclarè conatur, cuius verba, merè eloquentiae sale sparsa, haec sunt: O vita Philosophia dux: o virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tandem literarum et uocum commu-

Cicero 5.
 Tuscul.

porrigit, teste Cicerone & Tusculanar. quaestionum, ubi Maiestatem huius exprimere praclarè conatur, cuius verba, merè eloquentiae sale sparsa, haec sunt: O vita Philosophia dux: o virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tandem literarum et uocum commu-

PHILOSOPHIAE.

nione iunxisti, tu inuentrix legum, tu magistra mo-
rum & disciplina fuisti: ad te confugimus, à te o-
peram petimus: tibi nos ut antea magna ex parte,
sic nunc penitus totosq; tradimus. Quid queso igitur
magis eximium, quid excellentius à tanto Oratore
proferri potuisset, quàm hoc ipsum? Doctrina igitur
hæc quantum communi hominum vitæ suppeditet
presidij, omnium iudicium esto. Hæc enim ad vir-
tutem indagandam, vitiumque expellendum ne-
cessaria, ita ut nulla vitæ pars, neque publicis, ne-
que privatis, neque forensibus, neque domesticis in-
rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero
contrahas, vacare officio possit, in eoque excolendo
omnem vitæ beatitudinem, et in negligendo omnem
turpitudinem ac fœditatem consistere videmus.
Cui astipulatur & Aristoteles, Socrati persuadens,
ut relictis Philosophorum contemplationibus, ad
præcepta morum inveniendæ & tradendæ animum
adijciat, Ethicæq; sese dedat. Quam præ alijs et-
iam probare videtur Seneca in Epistolis ad Lucil-
lum, ubi ita Ethicam hunc iubet addiscere, ut utili-
tatē Mathematicis sæpius detrabere non vereatur.
Equidem hanc Iureconsultus ceu utilissimam omni

Cicero 1.
officior.

1. Meta-
phys.

DE DIGNITATE

tempore exornandam, omnibus inculcandam diligentissimè & vehementer urget. Nullam præterea vetustissimi Græcorum præter artem hanc tam necessariam duxerunt. Physicam denique quod attinet, ea non immeritò dicitur mentem nostram perficere, cum doctrinam de natura rerum, principijs & causis nobis proponat: cuius profectò usus non exiguus animadvertitur. Hac enim ea est, de qua Apostolus loquitur ad Romanos 1. Ex visibilibus posse agnosci invisibilem Deum, item Deum tam propè nobis adesse, ut manibus contrectari possit. Ex hac etiam Galenū, extra Ecclesiam, tria de Deo didicisse perhibent: Deum esse omnipotentem, sapientem & bonum: Omnipotentem, quòd ex tam vilis materia & semine, tam multa & pulcra condidit membra & corpora animalium: Sapientem, quòd singula ordine concinno distinxit, & proportionem mirabili concinnavit: Bonum, quòd nec ulla sit minimarum minima particula in toto corpore, quæ non certas atque optimas præstet toti corpori utilitates. Quæ doctrina cum & Ethnicis notitiam Dei, quam ab ordine in natura depromserunt, attulerit, meritò magnificienda & in pretio est habenda.

PHILOSOPHIAE.

benda. Prodest deniq³ etiam hæc reliquis facultati-
bus. Hæc enim plurima de animo utilissima Theo-
logo: De animalium herbarumq³ natura Medico:
De moribus populorum Iurisconsulto: ipsi tandem
etiam plurima Philosopho alibi necessaria ostendit.
Enimverò tantum hæc omni hominum generi emo-
lumentum suggerit, ut vel sola physica vitæ huma-
næ custos servatrixq³ videatur. Tantæ insuper Phy-
sica dignitatis est, ut ni, te ipsum nosse, ducas mini-
mum; omnium scientiarum primam hanc possis
arbitrari.

Hinc igitur Philosophiâ in vitâ hominum ni-
hil præclarius atq³ splendidius esse perspicitur: Hanc
etiam si quis sustulerit, solem mundo, & mētî rati-
onem sustulisse videtur. Hæc enim præterita tenet,
præsentia intelligit, futura prævidet, quid in omni-
bus factu optimum sit, animaduertit; aliâq³ ex alijs
colligit: Hæc falsarum sententiarum temeritatem
diripit; palmam in omnibus obtinet, errores ampu-
tat, fibras vitiorum euellit; & insuper hominum
amplificare pristinam dignitatem potest. Hanc e-
nim qui consecutus est, is non solummodò summis
viris comparatur; verùm etiam laudes ipsius non

C 3 tantum

DE DIGNITATE

tantum nostris, sed pene omnium gentium literis & linguis celebrantur, ita ut licet absens sit & mortuus, praesens tamen vivat. Quare eam ut adipiscamur, remis velisq; contendendum est. Sed cum etiam inter artium cupidissimos non raro querela sonent, quibus horum studiorum neglectum introduci arbitrentur; non immerito & quis illorum valor sit, adjici potest. Cum enim hominis vita sit brevis, sed artes longa sint, plurimaeque consideranda veniant, difficultas aliquibus & temporis longinquitas obstare videtur. Difficultatem autem intolerabilem in hoc studio nullam esse, omnes sibi persuadeant. Nihil enim tam grave, tamq; difficile est, quod non assiduo studio & labore inuestigetur & acquiratur. Memoria insuper hominis ras et tabula assimilatur merito, in quam omnia facile imprimi & insculpi queant. Non quenquam illud fugere arbitror, quod de Alexandro Magno commemoratur, qui, postquam interrogatus, qua ratione tam brevissimo temporis spatio tantas res tam feliciter confecisset, respondiisse dicitur: μὴ δὲν ἐν ἀναβαδόμεινος: Denotans, nihil esse, quod non laboribus vincatur. Nam cum difficultationi humana appareat, tam brevi temporis intervallo

PHILOSOPHIAE.

teruallo uniuersum pene orbem peragrare; multo
difficilius est (ut in Alexandro videre est) totum
sibi orbem subicere, iamq; an plures sint, velle inda-
gare. Ex quo quidem facile, omnia labori superabi-
lia, minimeq; propter difficultatem, studia abjicien-
da esse, colligimus. Ast cum prater difficultatis etiã
alium alij scrupulum injiciant, hocq; studium sum-
ptus requirere maximos arbitrentur: teste Iuena-
le in Satyra:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi &c.

Hoc nos illis subicimus, Deum semper diuina
sua prouidentia pijs adesse; & pios homines studio-
rumq; patronos subordinare, quorum auxilio suble-
uentur & iuuentur. Licet enim parcè ac duriter in-
terdum viuere cogantur, grauioraq; patiantur ali-
quandiu: Deum tamen his statim finem daturum
sperent, iuxta illud Vergilij:

O passi grauiora, dabit Deus his quoque finem.
Vbi non minus atq; in superioribus nullo modo pro-
pter sumtuũ magnitudinem philosophiã vel negli-
gendam vel rejiciendam conuincio. Abeant ergo, qui
hanc, inuentum otiosorũ hominum: abeant, qui vel
totam vel partem aliquam inutilem: abeat deniq;
quili-

DE DIGNITATE


quilibet, qui propter difficultatem fictitiam, sum-
tuumq; magnitudinem, hanc deserendam opinan-
tur. At tu omnium donorum pretiosissimum, Philo-
sophia, tu nobis perpetua sis: tu nullo unquam tem-
pore à nobis recedas. Tu etiam, summe Deus,
nobis tuum munus hoc, ita contra Barbararum
gentium rabiem defende, ut perpetua tuae imaginis
perfectio inter nos vigeat, serveturque. Quod
quidem ut gratum nobis omnibus: ita tibi glo-
riosum semper futurum esse,
speramus.

DIXI.

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ VVI-
TEBERGENSIS, THOMAS FRAN-
ZIVS, I.V.D. & Professor pub.

penumerò omnes omnium ordinum & Facultatum studiosi historiam, quæ extat apud Herodotum in Thalia, de Samijs, à Polycrate in exilium eiectis, in mentem sibi reuocare, & ex illa, quidnam è re atq; studiorum suorum sit emolumento futurum, maturè addiscere debent. Cùm enim Samij exules Spartam venissent, imploraturi sociorum auxilium, tam barbarâ & ineptâ & confusâ oratione vsi fuerunt Legati, vt Spartani nihil aliud, quàm hoc, se priorum quidem quæ dixissent illi, esse oblitos, posteriora verò non intelligere, responderent. In secundo congressu non minùs turpiter se illi ipsi dederunt, quàm quod de primo breuibus verbis modò fuit commemoratum. Nam in publicum protulisse corbem panarium perhibentur, vix additis his pauculis verbis, illum corbem indigere panibus: vnde Spartani collegerunt, ipsos petere auxilium contra hostes, & simul panario corbi panem, hoc est, ipsis copias auxiliatrices promiserunt. Vix autem dici potest, quàm multos reperire liceat quotidie inter illos, qui eruditionis quidem laudem merentur, sed tamen ea, quæ volunt, tersè, propriè & facundè enunciare

D neque-

nequeunt, cum omnino magna sit laus ingenij &
dexteritatis, animi sui senfa, puro, facili & niti-
do sermonis genere alijs exponere. Merito i-
gitur celeberrimæ huius Academiæ Statuta, inter
reliqua, hoc quoque à priuatis & alijs Magistris &
Præceptoribus exigunt, vt fidei suæ commissos in
Orationibus scribendis diligenter exerceant. Et
debet vnumquemque, hac in parte sibi metipfi ideo
rectè consulere, & eiusmodi exercitia excolere, &
ἰσὼς μὴ ἐρμηνεύειν comparare, ne aliquādo vel in scho-
lis & Ecclesijs, vel in Rebus publicis & legationibus,
idem ipsi quod Samijs cum maxima ignominia vsu
veniat. His & alijs causis commotus, Ornatissi-
mus atque Doctissimus iuuenis, ADAMVS HEV-
MAN, Silesius, Orationem conscripsit de dignitate
& excellentia studiorum Philosophicorum, quam
hodie hora duodecima publicè recitabit. Cui vt vni-
uersi & singuli, qui horum studiorum & exercitio-
rum dignitatem cum magna vtilitate coniunctam
intelligunt, intersint, hortamur. Valete. P.P.

V Vitebergæ, Dominica xv Trinit. An-
no Christi, 1597.



Cic. ad Quint. Fratr.

PLato tum denique fore beatas Respublicas putavit, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.

Idem.

Qui experimentis addiscunt administrare regnum, licet ingenio felicissimo nati sint, tamen serò, serò magno Reipub. malo tandem evadunt boni reges. At qui Philosophia præmunitus præceptis accedit, si adsit mens integra, vix poterit ab honesto deflectere.




9K 77 90

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

MC





B.I.G.

Farbkarte #13

X 200 1655

II f
90

Oratio
DIGNITA
ET EXCEL
TIA PHILO-
SOPHIÆ.

Quam

CLYTA ATQVE
ERRIMA VVITEBER.
Academia, pridie No-
m Septemb. publicè
recitavit

AMVS HEYMAN,
Silesius.

VVITEBERGÆ
Simonis Gronenbergij.
Anno 1597.

BIBLIOTHECA
UNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

